Prouinciæ Prouinciæ prætensæ Nullitatis Capituli.

Stantibus &c.

Dub. 1. *An Capitulum Prouinciale, de quo agitur, sit nullum, vèl annullandum.*

Secund: *An, & quomodo prouidendum gubernio Prouinciæ.*

Eñie, & Rñie Dñe. EXpleto quadriennio Prouincialatus Prouinciæ Prouinciæ, laudabiliter exercitia Patre Magistro Antonino Gubert Ordinis Prædicatorum viro septuagenario maiore, & vndequaque meritissimo, qui in eodem munere etiam per alias binas vices interpolatè, summo zelo, & prudentia gubernauerat, non omisit idem Pater Gubert iuxta ea quæ sibi incumbebant, conuocare Religiosos pro nouo Prouinciali eligendo; Et expectatis omnibus, & singulis, quorum intererat, aut interesse putabatur tandem seruatis seruandis in Capitulo habito die 2. Maij anni vltimò effluxi, electus remansit quasi vnanimi consensu Electorum Pater Magister Raymundus Brutinell, qui ex quinquaginta nouem Vocalibus vota habuit quinquaginta septem *Summ. Num.* 1.

Et quamuis imminente iam dicta electione, immò vocalibus summa quiete, & tranquillitate congregatis Pater Hiacynthus Tombarelli, & Pater Raymundus Dec Aduersarij, ac Pacis Prouinciæ perturbatores quamdam protestationem curassent præsentari, qua in specie prætendebatur Præsidentiam in Capitulo, istiusque conuocationem, minimè competere posse eidem P. Antonino Gubert Prouinciali absoluto vti prætenso excommunicato; Attamen nulla de ea habita ratione, & quidem meritò, vt inferiùs, ad actum electionis deuentum extitit *dicto Summ. Num.* 1.

Atquè adeo sensibilis, & scandalosa euasit huiusmodi protestatio tam circà personam d. Patris Magistri Gubert, contra quem primario directa erat, quam circà modum præsentationis eiusdem, vt in Epistola directa Reuerendiss. Patri Generali à vocalibus omnibus subscripta, ipsi summopere contrà eamdem exclamare non desierint, expositis in specie qualitatibus memorati Patris Gubert, & præstantia regiminis per eum semper expleti, & aliquid etiam indicando circa electionem iam factam in personam dicti *Patris* Brutinell pietate, doctrina, & prudentia eximij, vt in *Summario Num.* 2.

Delata re ad Reuerendiss. P. Generalem prò confirmatione, stante appellatione ad Summum Pontificem, quæ in supradicta protesta-

tione continebatur in casum electionis, antequam examen circa eandem confirmationem assumeretur R. P. Procurator Generalis Ordinis cautius agendo opportunum duxit exquirere desuper Oraculum Sanctiss. mediantibus precibus relatis *Summ. Num.* 3. vbi in speciè legitur expressio, quod P. Generalis existimabat = *non poter proceder à detta conferma senza l'ordine della Santità Vostra* Vndè implorabatur præcipi, seù designari, *come vuole che il P. Generale proceda*, prodijtque rescriptum *al P. Generale dell'Ordine dè Predicatori*.

Quapropter idem Reuerendiss. P. Generalis in tuto positus circa facultatem desuper cognoscendi deputatis 12. grauioribus sui Ordinis Patribus, ac exquisitis eorum secretis suffragijs, quæ conformia fuerunt prò confirmatione ad eandem omnibus muturè perpensis, & examinatis de eorum Consilio, & deliberatione pro cessit iuxtà præscripta ab Ordinis Constitutionibus, & Statutis, sicut benè ex eadem confirmatione præfulget *Summ. Num* 4. & memoratus Reuerendiss. Pater Generalis expressit in suá relatione huic Sacræ Congregationi data aduersus memoriale exaduerso porrectum *Summ. Num.* 5.

At quia in confirmatione dictum fuerat, quod ad eam deuenerit Pater Generalis *auctoritate* (vtor præcisis verbis) *nostri Officij, & Apostolica* = & sic tam ex Iure proprio, quam in vim remissionis à Sanctiss. sibi factæ, designatio, seù specificatio illa & *Apostolica* quæ alioquin iuxta hunc sensum sumi debebat, quia ea mediante non intellexit P. Generalis exprimere nisi, quod confirmabat Iure suo, & in vim talis remissionis prout antecedenter explicitè dicitur in actu confirmationis *dicto Summ. num.* 4. ibi *Placuit Sanctissimo rescribere, & ad nos remittere Iudicium huius Causæ*, cum præsertim verba non sint amarè accipienda semper intelligi debeant iuxtà subiectam materiam, & qualitatem actus, cui adijciuntur vt firmat *Oldrad. cons.* 172. *num.* 6. *vers.* *ad quartum Beron. consil.* 106. *num.* 24. *lib.* 1. cum alijs per *Rot. coram Coccin. dec.* 1535. *num.* 7. & omnis benigna interpretatio accipienda sit super intelligentia verborum, ad excludendam quamcumque exorbitantiam, & ne dicatur aliquem sibi attribuisse facultatem, quam non habebat, quod non præsumitur; Addito, quod fuit superabundans cauthela dicta supplicatio data, cum de reliquo nulla particulari, aut noua auctoritate indigeret P. Generalis etiam non obstante appellatione, quia vbi ea recepta non sit, & per Superiorem ser. ser. admissa non impedit quin aliquis auctoritate sua fungatur, atque speciale est in materia electionis, vel confirmationis, quod absolute ad illas impediendas non detur, sed solum detur ad protestandum, vt non fiant nisi Canonicè, ad tradita per *Passerin. de elect. Canonic. cap.* 32. *num.* 4. *& seqq.*

Dicta